



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtvte
Et Statv Religionis**

Qvo Quid Contineatvr, Index proximus indicabit

De Obligationibus Religiosorum ex Regula, Prælatione & subiectione
regulari prouenientibus, De varietate Religionum tam in genere, quàm in
specie, De Religione Societatis Iesv in particulari

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1626

XI. Vtrum omnes actiones sæculares, vel profanæ, & in vniuersum omnes
prauæ sint religiosis specialiter prohibitæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93501](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93501)

CAPVT XL

*Virum omnes actiones seculares, vel profane, & in
vniuersum omnes prauae sint religionis specia-
liter prohibita.*

I.
*Puncta duo
tractanda
hoc in cap.*

In hoc capite non agimus de sola obligatione regulae, sed de quavis alia ex quocunque iure nascatur, vel naturali, vel positio. Duo autem sunt, quae interrogantur. Vnum est, an religionis aliqua actiones specialiter prohibita sunt, quae alijs non prohibentur. Aliud est, an illa eadem, quae religionis cum alijs communiter prohibita sunt, habeant in religionis specialem prohibitionem, vel grauitatem. Quoad priorem partem supponimus non esse sermonem de actionibus contrarijs votis monasticis, nam de illis constat esse specialiter prohibitas religionis. Specialiter (inquam) quantum est ex vi status, quia religionis per se conuenit talis obligatio, seu prohibitio, non vero alijs, qui illum statum non profitentur. Potest autem interdum similis obligatio inueniri in persona non religiosa, quia votum aliquod habet, in quo cum religionis conuenit. Sed hoc & est accidentarium, & ibi iam interuenit participatio quaedam status religionis. Deinde non tractamus de speciali prohibitionem orta ex regula; nam sic etiam constat multa esse posse specialiter prohibita religionis. Sed de hac obligatione in genere satis dictum est a c. i. in particulari vero vnusquisque regulam suam consulat. Praeterea non agimus de prohibitionem ex vi iuris naturalis, aut diuini, sic enim nihil est specialiter prohibitum religionis, praeter ea, quae intrinsece ex votis, & traditione facta religioni sequuntur: de quibus etiam dictum est in tomo superiore: nulla enim alia ratio aut causa excogitari potest vnde similis prohibitio naturalis, aut diuina oriatur, cum in his personis nihil speciale inueniatur, per se loquendo, & ut religiosae sunt: nam si habeant alia ministeria, vel officia, ratione illorum poterunt alias obligationes habere: sed illa accidentaria sunt ad religionis statum.

II.
*Resolutio
puncti quo-
ad prohibi-
tiones com-
munes reli-
giosae cum
Ecclesiasti-
cu seculari-
bus.*

Igitur solum superest dicendum de iure communi canonico. In quo vterius considerandum est, quaedam dici posse specialiter prohibita religionis, vt distinguuntur a personis omnino laicis, seu non Ecclesiasticis, vel specialissime prout tam a laicis, quam a secularibus clericis distinguuntur. Priori modo sunt iure canonico prohibita religionis multa, quae numerantur in c. i. & sequent. ne cleric. vel mon. & in c. a crapula. c. cleric. 1. & 2. de vita & honestate cleric. & Clem. 1. de statu monach. & Concil. Trid. sess. 22. c. 1. de Reformatione & sess. 24. c. 12. in fin. quae ibi videri possunt, nihil enim habent, quod specialiter ad religiosos pertineat, & hic tractanda non sunt, quia omnibus clericis sunt communia, habebunt enim, si Deus dederit, suum proprium locum in tractatu de ordine. Et multa ex ibi prohibitis sunt per se mala, vt ebrietas, libido, vsura, & similia: alia pertinent ad decentiam habitus clericalis, de quibus quantum ad religiosos spectat, satis in c. 5. dictum est. Alia denique specialiter prohibentur propter decorem talis status, & quia multum impediunt finem eius. Inter quae numerantur imprimis negotiatio temporalis lucri causa, fordes causas agere, praesertim in causa sanguinis, conductores secularium rerum, aut procuratores esse, & huiusmodi, quae licet per se mala non sint, periculum habent, & implicant hominem negotijs secularibus, iuxta c. 1. & 2. de Cleric. venat. Quibus denique accedunt alia, quae de se magis indifferentia videntur, vt sunt alearum ludus, venatio, canes, & aues inseguendo, & vociferando: de quibus videri potest Nauarr. Comment. 4. de Regularib. num. 26. &

sequentibus. Vbi specialiter agit de venatione prohibita religionis, quam non putat esse peccatum mortale, sed cluso scandalo, & aliquando ex iusta recreationis causa, & seruatis alijs debitis circumstantijs posse fieri significat: quod verum existimo. Et idem dixit de ludo idem Nauarr. in Summ. c. 19. num. 3. quando ludus alias non est ex iure prohibitus, vt notauit etiam Bernardus Diaz in practica, cap. 70. Vbi Salzedo alios refert, & attigit Soto lib. 4. de iustitia, q. 5. art. 2. Maxime tamen cauendum est, ne votum paupertatis per ludum violetur, quod maxime potest huius actionis malitiam aggravare, eumque qui a religioso aliquid lucratur, ad restitutionem obligare, iuxta principia superius posita de materia paupertatis.

Posteriori modo inueniuntur in iure speciales prohibitiones factae religionis, quas fere omnes late exposui in tomo 3. tractando de excommunicationibus iuris in particulari in disp. 22. & 23. & de suspensionibus proprijs religiosorum disp. 31. fecit. 6. easque breuiter recenset Syluest. verb. Religiosus. 15. & 16. & Religio. 7. q. 15. & Angelus verb. Religiosus. 66. Quibus locis multa ponunt, quae non sunt omnibus religionis communia, sed eorum propria, qui Monachi nigri in iure appellantur: & adhuc inter illa multa non sunt rigorosa praeccepta, vt in superioribus tactum est, explicando etiam c. cum ad monasterium. de statu monach. Multa etiam ex his, quae numerantur, pertinent vel ad non alienanda bona religionis, quae li. 2. a c. 26. tractabo, vel ad modum faciendi, & acceptandi electiones, quod attigimus tomo superiore, explicando obedientiae votum, & tractando modum creandi Praelatos. Reliqua dicemus, quae spectant ad Praelationes intra religionem, eodem lib. 2. a c. 3. nam de alijs, quae sunt extra illam in priori loco tomi superioris, est dictum, & dicemus plura infra lib. 3. tractando de mutatione status religionis: vbi etiam tractabimus de his, quae pertinent ad prohibendam apostasiam, & omnem illicitam mutationem status religionis. Solum ergo desiderari poterat explicatio praeccepti psallendi in choro horas canonicas, quod ad regulares etiam Ecclesias extenditur in Clem. 1. de Regular. Sed hoc praecceptum vnamquamque religionem obligat iuxta modum sui instituti: vnde Societatem non obligat, quia sub tali modo instituta, & approbata est: cuius rei rationem infra tract. 10. lib. 1. c. 8. redemus. Vnde autem oriatur obligatio, quam singuli religiosi professi habent ad recitandas horas canonicas, & tota communitas ad publice capendas & recitandas illas in choro tomo 2. lib. 4. c. 17. de Horis canonicis dictum est. Et ideo de oneribus status religionis in communi nihil dicendum superest.

Quoad secundam partem est commune dubium, an peccatum religiosi, caeteris paribus, grauius sit, quam non religiosi, & consequenter an idem praecceptum commune religioso, & non religioso magis obliget religiosum? Quam rem disputat D. Th. 2. 2. q. 186. a. 10. vbi, si attente legatur, resolutio eius non solum est negatiua, verum potius significat leuius esse peccatum religiosi, per se loquendo. Ex triplici enim accidente (vt ait) potest peccatum religiosi esse grauius, scilicet vel quia est contra votum, vel quia est ex contemptu, vel quia fit cum scandalo: quae tria constat esse accidentaria, & extra propriam rationem & obligationem particularium praecceptorum. Idem tenet Syl. Religi. 64. 14. Greg. Lop. gloss. 8. in lib. 25. tit. 4. p. cum Ioan. Andr. in c. Accusatus. de haeretic. in 6. Extra hos vero tres casus ait D. Th. peccatum religiosi esse leuius in eodem genere peccati. Quia si sit leue (inquit) quasi absorbetur ex multis bonis operibus, quae facit, si vero sit mortale, facilius ab eo resurgit. Sed haereticis

tiones etiam sunt ab extrinsecis effectibus sumptae, & solum probant peccatum religiosi facilius remedium habere, non tamen esse in se leuius.

Quocirca dicendum censetur, praecepta communia religiosis, & non religiosis, quantum est de se, aequaliter illos obligare. Probatur, quia praeceptum indistincte loquitur, & potestas praecipientis aequalis est respectu omnium: voluntas etiam generalis est, & indifferens: ergo etiam obligatio aequae ad omnes descendit, per se loquendo. Neque enim ex parte subiectorum considerari potest aliquid, quod reddat unam ex his personis magis obnoxiam huic obligationi, quam alias: suppono enim praeceptum non pertinere ad statum religiosi, ut si alius non esset commune non religiosis: ergo status hominis religiosi per se, neque augeat, neque minuit obligationem talis praecepti. Vnde fit, ut ex hac parte, & consequenter ex vi materiae nec grauius, nec leuius religiosus peccet, sed iuxta exigentiam virtutis, ad quam pertinet tale praeceptum. Dices, eo ipso, quod persona est sacra, ex circumstantia personae aggravari quamlibet culpam, id eoque ipsam magis obligari ad non transgrediendum quodlibet praeceptum. Respondetur idem argumentum fieri posse de clerico comparatione laici, & de fidei seu baptizato comparatione infidelis. Item solet idem argumentum fieri de loco sacro, de quo certum est non omne peccatum factum in eo specialem grauitatem inde accipere, nisi vel peculiariter ibi prohibitum sit, vel directe sit iniuriosum loco. Ita ergo in presenti dicimus illam circumstantiam personae non aggravare specialiter quamlibet culpam, nisi vel ratione voti, vel peccatis praecipi sit specialiter prohibita, vel aliunde sit directe iniuriosa tali statui, ut recte Caiet. 2. q. 7. art. 1. sentit. Vnde si in tali persona consideretur aliqua maior obligatio vitandi culpas, non est ex sola consecratione personae, sed ex alijs conditionibus ad voluntatem vel intellectum pertinentibus, ut videbimus.

Secundo dicendum est, regulariter loquendo grauius peccare religiosum quoties cum perfecta deliberatione peccat, leuius autem cum ex subreptione. Ratio prioris partis est, quia regulariter ille modus peccandi est in religioso cum maiori scientia, & consequenter cum maiori libertate, ac propterea cum maiori ingratitudine erga Deum. Quia ex maiori lumine rerum spiritualium, quod solent religiosi habere, sequitur & maior libertas in peccando quando deliberatio non impeditur. Et praeterea etiam sequitur maior obligatio recognoscendi illud Dei beneficium, & consequenter non offendendi benefactorem. Atque hoc modo intelligendum puto, quod aliqui absolute asserunt, peccatum religiosi, ceteris paribus, grauius esse quam non religiosi, propter circumstantiam personae. Quo modo loquitur saepe Nauar. ut videre licet in Summa c. 6. n. 13. & in c. consideret. de penit. dist. 5. n. 4. & 50. & Comm. 2. de Regul. n. 59. Hoc enim in tantum verum esse existimo, in quantum ex illa conditione personae oritur aut maior consideratio, aut certe maior facultas & obligatio considerandi & cauendi diuinam offensionem, saltem ex generali ratione ingratitudinis. Hac autem omnia non ita habent locum in peccatis, quae ex subreptione fiunt: quia non sunt perfecte humana, & ideo non magis imputantur ratione maioris luminis, aut scientiae, quia in eis praeuenitur homo, ne cum perfecta libertate possit his donis uti. Et ob eandem causam fere nulla ingratitudo in his peccatis consideratur. Quauis autem hoc proprie locum habeat in peccatis venialibus, nam subreptio in rigore sumpta in solis illis locum habet: suo tamen modo extendi potest ad peccata, quae ex inir-

mitate, aut vehementi passione fiunt, etiam si mortalia sint, quatenus passio antecedens facultatem considerandi impedit. Et ideo D. Th. de his absolute dixit esse leuiora in religioso. quod regulariter forte ideo est, quia passio, quae religiosum vincit, aut perturbat, solet esse maior: nam si in illa esset aequalitas, etiam posset illi magis imputari, quod habens plura principia vel auxilia ad superandam illam, vinci se finat. Nisi etiam dicatur culpa leuior (quod plane videtur D. Thom. intendisse) id est, minus nociva seu periculosa quoad ultimum eius damnum seu effectum, quia facilius curari potest. Quod secus est in peccatis, quae ex certa scientia, vel malitia a religiosis fiunt: nam in eis maxime locum habet, quod Aug. dixit ep. 137. Sicut non vidi meliores quam qui in monasteriis profecerunt; ita non vidi peiores quam qui in eis defecerunt.

Aduertit nihilominus Nauar. citatis locis, & recte, grauitatem hanc, quam potest habere peccatum religiosi, ex hoc solo capite seclusis tribus illis circumstantiis, quas D. Thom. n. 4. adductus considerauit, neque addere malitiam distinctae speciei, neque mortaliter aggravare, ita vt ex veniali peccato possit facere mortale; neque etiam si mortalem malitiam supponat, ita notabiliter aggravare illam, vt necesse sit talem circumstantiam in confessione declarare. Ratio omnium est, quia ibi non est specialis materia sacrilegij, vt ostensum est: praequam nulla alia cum fundamento excogitari potest. Solum ergo esse potest augmentum, vel ratione maioris libertatis, aut voluntatis formalis, vel interpretatiuae, quae notabiliter non augent; vel ratione alicuius ingratitudinis, quae non est formalis, sed materialis, secluso contemptu, vt in simili diximus in tomo 4. de Penitentia, disp. 13. sect. 3. & in presenti etiam materia, quauis de alia re agens, sentit Caiet. 2. q. 157. art. 4.

At vero D. Th. eo ipso in loco, Religiosos illicito vt temporalibus bonis, si ab actibus religiosis desistant: quia sic quantum est de se defraudant intentionem eorum, qui talia bona contulerunt. Vnde Caietanus declarat illud esse illicitum ratione ingratitudinis, vel formalis, si directe intendatur, vel ex contemptu beneficii suscepti fiat (quod mortaliter nunquam fit) vel tantum materialiter, quae erit maior, vel minor, iuxta obligationem, quam ex alio praeccepto habuerint religiosi ad tales actus exercendos. Vnde nisi alias teneantur sub peccato mortali ad tales actus, sola ingratitudo suscepti beneficii non sufficit ad malitiam mortalem.

Dicunt vero aliqui, eo ipso quod religiosi ex vi sui status, & professionis deputantur ad aliquos actus, vt, v. g. ad chorum, vel ad spiritualia ministeria erga proximos, vel ad seruendum in actionibus corporalibus, si sint laici, teneri ex iustitia ad illos actus exercendos, & non ex sola gratitudine, ideoque per se ac directe peccare mortaliter illos omittendo. Quia inter religionem & religiosum intercedit pactum implicitum, vt religio ministret omnia necessaria ad vitam; religiosus vero munus suum exequatur. Dico tamen, excepta obligatione principijs, siue illa sint consuetudo, siue ius aliquod canonicum, siue solenne votum, de quibus alibi, in reliquis actibus nullam esse obligationem sub peccato mortali, per se loquendo, nisi vel in regula sit praecceptum, quo ita districte praecipiantur, vel ipse Praelatus sub virtute obedientiae illos praecipiat. Ratio est, quia nullum aliud principium talis obligationis, vel grauis transgressionis cum fundamento affirmari potest. Nam ex vi professionis ad nullos actus immediate se obligat religiosus, nisi ad id, quod vouet: non vouet autem immediate actus illos, ad quos destinatur, neque enim ad recitationem

VII.
Exponitur
maior gra-
uitas in pec-
catis religio-
sis, quando in-
teruenit.

VIII.
Ingratitudo
vel g. osorum
v. intus
bonis tem-
poralibus
donatis an
sit grauior.

IX.
Ex alio sum-
damento a-
lii aggrauat
peccatum
religiosi.

Vera aucto-
ritas doctrina.

nem in choro, quidquid sentiat Nau. tractatu de oratione, c. 21. n. 20. fed præter castitatem & paupertatem vouet tantum obedire secundum regulam. Tunc ergo obligabitur ex voto ad illos actus, quando interuenit obedientia præceptum, vel regula, vel hominis: ergo, si vtrumque secludamus, non manet obligatio ex vi votorum; ergo nec ex vi professionis: ergo nec iustitiæ obligatio interuenit, donec Prælatus rigorose præcipiat, & exigat ius suum; tunc enim fateor peccatum esse posse contra iustitiam ratione traditionis, & pacti, & contra virtutem religionis ratione voti obedientia, vt in superiori tomo late explicauimus. Sicut peccaret etiam Prælatus contra iustitiam negando subdito necessaria ad suam sustentationem: est autem differentia, quia Prælatus ex officio habet hanc obligationem sine nouo præcepto, nec enim subditus

potest illud Prælato imponere: at vero subditus immediate & ex officio solum tenetur obedire: in particulari vero obligatio semper est iuxta gradum præcepti seu legis sibi impositæ; & nunquam intelligitur obligatio iustitiæ ab ipso exigi, nisi quando actus ita præcipitur. Illa autem iustitiæ obligatio, aut transgressio non est respectu fundatorum, aut bene factorum, qui elemosynas dederunt (nisi vbi tale pactum interuenit) sed est respectu Prælati, seu religionis, cui religiosus se tradidit. Dixi autem *per se loquendo*, nam ratione scandalii, vel propter alia grauius damna, si inde sequantur, poterit in ea omissione esse peccatum mortale. Et hæc tenus de obligationibus religiosis communibus: reliquum est vt de Prælatis in particulari dicamus.

INDEX CAPITVM LIBRI SECVNDI.

De religiosis quatenus Prælati sunt, & eorum obligationibus, vt sic.

- CAP. I. **A**N in religioso statu necessarius sit aliquis Prælatus iurisdictione pollens, & unde illam habeat.
- II. Quotplex sit Religionis Prælatus, & quem inter se ordinem seruens?
- III. De electione supremi Prælati in religione, deque conditionibus ex parte ipsius requisitis, vbi legitime eligatur.
- IV. De conditionibus eligentium dictum Generalem.
- V. De forma prædictæ electionis Generalis.
- VI. De electione aliorum Prælatorum infra Generalem.
- VII. An Prælatus Religionis perpetua sit, quandoque durare possit aut debeat.
- VIII. An Prælatus Religionis potestatem habeat obligandi subditos in conscientia, quando & quomodo.
- IX. An in Prælatis religiosis sit potestas coercitiva, tum in vniuersum, tum speciatim ad penam spirituales.
- X. An in eisdem sit talis potestas ad penas corporales.
- XI. An religiosi possint a sententiis & præceptis suorum superiorum appellare.
- XII. An in Prælatis regularibus sit potestas dispensandi, & ad quam materiam se extendat.
- XIII. Quibus Prælatis, & quæ ratione potestas dispensandi cum suis subditis sit concessa.
- XIV. Quæ persone à Prælatis Religionis dispensari queant.
- XV. An in Prælatis Religionum sit potestas, tum ad absolueudum suos subditos à culpis non reueruatis; tum ad deligendum aliis talem potestatem.
- XVI. An in aliis etiam, præterquam in ipsis Prælatis Religionum, vel eorum delegatis detur potestas illos absolueudi. Vbi de bulla cruciatæ.
- XVII. An saltem pro religiosis peregrinis, ac nouitiis absolueudis detur in aliis dicta potestas.
- XVIII. Quid circa reservationem culparum in Religione statuerit Clemens VIII.
- XIX. Quis possit absolue re religiosis à culpis reueruatis.
- XX. An Prælati regulares habeant potestatem absolueudi suos subditos à censuris.
- XXI. A quibus censuris & pænis possint Prælati regulares absolue re suos subditos, per privilegia religionibus præsertim mendicantibus concessa.
- XXII. In quibusdam Religiosis Prælatis sit potestas absolueudi subditos de omnibus censuris, tam à iure, quam ab homine.
- XXIII. An in Episcopis etiam resideat dicta potestas absolueudi Religiosos.
- XXIV. Ad quas personas absolueudas extendatur dicta potestas.
- XXV. An superiores religionum possint per privilegia absolue re subditos etiam à censuris specialibus ab homine.
- XXVI. De potestate Prælatorum religionis circa bonorum temporalium administrationem, ex prima institutione à iure antiquo permissam.
- XXVII. De potestate ad prædictam administrationem immobilium iuxta posterius ius Canonicum.
- XXVIII. De potestate ad prædictam administrationem iuxta indulta specialia Religionum, & nominum Societatis.
- XXIX. De potestate Prælatorum regularium ad conferendos ordines.
- XXX. De potestate eorundem Prælatorum ad res aut vestimenta sacra benedicenda vel conseruanda.